

*Ad Virum plurimum Reverendum, Clarissimum, Excel-
lentissimum,*

DN. SALOMONEM GLASSIUM,

SS. Theologiæ Doctorem &c.

περσφωνήματα.

Incola Sionici, GLASSI clarissime, montis,
Et Solymeorum gloria magna Virum:
Cui latices linguæ fœcundi pectus inundant,
Qua sua qua lubuit promere sensa DEO.
Quod Sophiæ profunda sacræ rimaris, & inde
Extrahis auriferos pervigil arte globos.
Extractosque bonus multorum exponis in usus.
Nam commune bonum pluribus esse solet;
Lator, & opto tibi, vires DEUS addat & an-
nos,

Ac reducis faciat tempora pacis agas.
Quo Philo-sophiæ tandem systema sacratæ
Confectum genii sedulitate tui.
Mnemosyne titulum figat cui grata peren-
nem:

Glassius hoc Salomon nobile cudit opus!

*Pro veteri, paterno sinceroque affectu
fudit*

JOH. MAJOR, D.
& p. t. Acad. Sal. Rector.

Ergo meum tenue, o GLASSI, suffragium, bono-
rem

*Addat Grammatica, quam nunc meditaris, He-
brææ,*

*Qua recte sancti cognoscere verba Jehova,
Vir præclare, doces; qua non limatior ulla
Orbe Lutberano visa est: quam laudibus ornat
Theologon Veneranda Trias Jenensium, & am-
plis*

*Elogiis decorat: quam MAJOR, quamque GER-
HARDUS,*

*HIMMELIUSque, Viri tres, & tria lumina
magna,*

*Concelebrare satis nequeunt? o pondus amoris
Erga me! motus quo tam sublimia de me
Speras: tot mihi non succurrunt aurea verba,*

*Quæis operas laudare tuas, μελετήματα queisve
Commendare queam digne; Clarissime DO-
CTOR.*

*Ede igitur librum subito, & pro carmine nostro,
Vino vendibili haut bedera ulla opus esse, memen-
to.*

MATTHIAS HOE ab Hoënegg, D.

*Aulæ Imperialis & Sacri Palatii Latera-
nensis Comes, Sereniss. Saxon. Electo-
ri a Consiliis Ecclesiasticis, Confessio-
nibus sacris, & Concionibus Aulicis
primariis.*

GLASSI Theologiæ fidus prælustre cathe-
dræ,
Delitiumque DEI, delitiumque homi-
num!

Sæpius hoc mecum memori sub pectore vol-
vo,

Ac mentis trutina pendo, rependo meæ,
Quis tuus in studiis ardor, quam præpete eur-
fu

Sectatus fueris Eusebiæ acropolin,
Cum plures ageres mecum quam quattuor an-
nos,

Musei & mensæ portio cara meæ.
Jungebas noctique diem, noctemque diei,
Nec vacua a studiis hora vel una fuit.

Lustrabas patrum monumenta, librosque sa-
crorum,

Sive illos Latium, Græcia sive tulit.
Nil erat occlusum, nil clausum, nilque nega-
tum,

Quicquid habet nostræ Bibliotheca do-
mus.

Hebræus Codex & Græcus fœderis almi,
Finis erat studii principiumque tui.

Quos vero tulerit tam rara industria fructus,
Edita jam pridem publica scripta do-
cent.

Præripit